

RHATABODVS AVSTRIAEC MARCHIO.



Rhatabodus fortitudine & prudentia singula
ri fuit præditus. Itaq; à Ludouico Boiorum re
ge Orientalis limitis Marchio cōstituitur. ut eo ui
gilāte Germania à Barbarorum incursione tutior
esset. Eam functionem is magno animo admini
strauit, atq; ditionem sibi commissam fortiter de
fendit. Cum autem Ratomarus Venedorum regu
lus noua moliretur, rex Boius Rhatabodum cum
ualidissimo exercitu contra eum profici sci iussit,
eiq; mandauit ut perfidum caput non ante perse
qui cesseret, quām aut occidat, aut regione penitus
exturbet. Id quod etiam Rhatabodus mira celeri
tate perfecit, ac sibi magnum uirtutis nomen com

parauit, Anno 840. Cum hoc modo magna gloria suam ditionem Rhatabo
dus administrasset, tandem moritur, & apud suos honorifice sepelitur. Auen
tinus libro quarto.